Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

pondeo. quanto exercitato sensu cum fidenter: illa simpla est.
illa dupla in spacio scilicet temporis. Neque hoc possum nisi
quia preterierunt et finita sunt. Non ergo ipsas que iam non sunt sed aliquid
in memoria mea metior: quod infixum manet. In te anime
meus tempora metior: noli mihi obstrepere quod est noli tibi
obstrepere turpitudines affectionum tuarum. In te inquam
tempora metior: affectionem quam res pretereuntes in te
faciunt et cum ille preterierint manet ipsam metior
presentem. non ea que preterierunt ut fieret. Ipsam metior: cum
tempora metior. Ergo aut ipsa sunt tempora aut non tempora me
tior. Quid cum metimur silentia et dicimus illud silentium
tantum tenuisse temporis. quantum illa vox tenuit. nonne
cogitationem tendimus ad mensuram vocis. quasi sona
ret ut aliquid de intervallis silentiorum in spacio temporis
renunciare possimus. Nam et voce atque ore cessante pa
gimus cogitando carmina et versus. et quemcumque ser
monem motionumque dimensiones quaslibet et de spaciis
temporum quantum illud ad illud sit renuntiamus.
non aliter ac si ea sonando diceremus. Voluerit aliquis
edere longiusculam vocem et constituerit premeditando
quam longa futura sit. Egit utique iste spacium temporis
in silentio, memorieque commendans cepit edere lon
giusculam vocem que sonat donec ad propositum termi
num perducatur. Immo sonuit et sonabit. Nam quod eius iam
peractum est utique sonuit. quod autem restat sonabit. atque ita
peragitur dum presens intentio futurum in preteritum traic
cit diminucione futuri. crescente preterito donec
consumptione futuri sit totum preteritum. Sed quomodo minu
itur aut consumitur futurum. quod nondum est. aut quomodo cres